



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Joannis Maurittii Gudeni Historia Erfurtensis Ab Vrbe Condita Ad Reductam

Gudenus, Johann Moritz von

Erfurti, 1675

III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11903**



Urbes Electoratus Francofurti convocatis  
his se iustitiam causæ probaturam. Capitu-  
lum insolentis postulati iniquitatem ex-  
probrat, de Cætero Erfordiam ut pro po-  
tissimo Electoratus membro agnoverim  
maiores, sic se deinceps habiturum, ac  
membrum imperia Capituli expectare, non  
proprium affectare Dominatum debe-  
re.

## III.

*Dietherus  
Albertum  
Saxonie E-  
lectoris filium  
coadjutorem  
assumit.*

*Ingratum id  
Erfurten-  
sibus & cur?*

Prudenti consilio Dietherus † contra  
tot pericula Sedem Moguntinam Alberto  
fulcivit: erat is Ernesti Saxonie electoris  
filius, ecclesie Metropolitanæ Canonicus,  
magnarum virtutum & spei Adolescens,  
annos natus septendecim. Hunc admini-  
stratorem à Sixto Papa IV. consentiente  
Capitulo impetravit, eundem huic Urbi  
provisorem, sicut & Eichsfeldiæ nomi-  
naverat, erfurtenibus multum reluctan-  
tibus, cum prius Vinariæ in eum consen-  
sissent. Est illa dignitas eadem cum Vice-  
dominatu, sed cum hic sit humilior, quam  
ut hereditario Domino tribuere nomen  
valeat, Cathedrales Domini summæ rei  
erfurtensis providere, quam agere vices  
dici maluerunt. Subsiderunt nonni-  
hil Saxonum animi, & restituta quieti  
Eichsfeldia. Sed † ingens hic erfurdia  
metus, auxit eum perperam actorum me-  
moriam, & profanati ad insolentiam Se-  
questri. Administrationem hanc succes-  
sionem spectare facile inferebat, nodosissi-  
mum autem oberrabat Capistrum, si  
Prin-



Princeps Saxoniae rebus Moguntinis praesesset. Tempestive de remediis deliberatum, ne pericula consiliis majora fierent. Placuit tamen ex pacis & belli artibus praesidia petere. Amplioribus munimentis Urbem tutandam, ut non solum frequentissimum posset exercitum frustrare, sed, qui alter est munimentorum fructus, sola praevisa difficili expugnatione, & gravibus tamen plenam conatum hostis absterret, cum eo consuleret depopulationibus agrorum, incendiis & mille malis, quibus miles etiam invicta Urbe in innocentes saevit. Insuper abolitionem antea actorum, & compositionem litium cum Alberto quaerendam: primo autem munimenta coepta, tum quod postea fortiores, leges pacis amplissimas sperarent, tum quod non sine controversiis illa ipsa duci possent, sicque una conciliatione veteres, & novae sopirentur. Praecipuum tamen Urbi periculum est monte S. Cyriaci imminere videbatur: etenim vallum a monte S. Petri ferè ad radices istius excurrit. Primitus tamen validiora munimenta contra illum erigenda placuit, sed quaecunque illa, humiliora judicata sunt, quam ut propinquo monti resisterent. Testari Urbis annales, vix hostem nisi ab illo monte eam oppugnasse, qui hodie periculosior, postquam inventis in humani generis perniciem tormentis, subjecta propugnacula domare possit. Ergo praeveniendum hostem, tamen

*Ex pacis & belli artibus praesidia quaerunt.*

*Mons S. Cyriaci munimentis urbis periculosus.*

*De eo consilia.*

*Scilicet de muniendo & S. Cyriaci monte.*



*Difficulta-  
tates.*

*Prima fuit  
ipsum Mo-  
nasterium.*

*Pro ejus  
transloca-  
tione Ponti-  
fici suppli-  
cant Erfur-  
tenses.*

& invincibili arce montem occupandum prævaluit hæc sententia. Melius creditur consuluisse, si à monte S. Petri continuò ad Carthusiam, secundum vetera urbis vestigia munitio ducta: sic enim minuta Bruleto Urbs adhuc amplissima, justo spatio recessisset à monte, nec infensissimo democratia (quam præfererat Erfordia) castello indiguisset. Verum avaræ capacitati nihil demere audebant. Plures difficultates † & majores, quam præviderant, huic negotio se objecere. Prima in monialibus occurrit, (a) quarum cœnobium, villæ, agri isto in monte † fuerunt. Translocandæ illæ necessariò, quod arx in loco Monasterii extruenda esset. Nulla verò spes desuper ab ArchiEpiscopo impetrandi licentiam supererat. Igitur Sixtus IV. Pontifex ablegato ad eum Henningio Gœdenio (b) Jcto, & Marianæ Ecclesiæ Canonico, aditur: † esse Civitatem hanc amplitudine opum, & potentia illustrem, ob hoc invidia multorum expositam, ut incolumitati suæ munimenta ponere jubeant præsentia mala, ingentes in eam sumptus se, majoresque jam fecisse, dum vastissimam Urbem per se qui milliare Germanicum vallo, fossis, &

(a) Documenta hac de re in Archivis, Moguntino, Erfurtensi, imò haud dubiè in Pontificio & Casareo & Saxonico supersunt.

(b) De hoc Gœdenio plura infra in motibus civilibus, Epitaphium ejus ex aurichalco fustum extat in Ecclesia Mariana.



curribus cinxerint: incassum omnia, nisi  
 simons S. Cyriaci, qui mœnibus immi-  
 net, positis in eo munimentis hostibus a-  
 dimatur. Sed esse in eo moniales S. Bene-  
 dicti, quæ propè Basilicam B. M. Virgi-  
 nis in colle Severiano quondam habitârunt,  
 ab Adalberto ArchiEpiscopo, (a) cum il-  
 lum muniret, huc translatas. Istarum  
 Cœnobium in arcem muniendam; id esse  
 cujus licentiam à Sanctitate sua peterent.  
 Citrà illius injuriam privilegium fore: in  
 ipsa Urbe tutiori loco, magisque conveni-  
 enti Monasterium aliud se Virginibus ex-  
 structuros. Pontifex † nec Moguntino,  
 nec aliis, quorum interesse poterat, au-  
 ditis annuit Erfurtensum precibus; con-  
 festim hi, & inopinato munitores immit-  
 tunt. Interim etiam Cæsari supplicant.  
 † Non longis ibi allegatis opus, sed innu-  
 isse sat erat, in Moguntini æmulationem  
 fieri. Igitur & is in Cyriaciburgum ple-  
 nissimè consentit, insuper se contra viola-  
 tores protecturum spondet. Impetratâ  
 † Pontificis & Cæsaris permissione celeri-  
 ter pergunt. Monialibus † Cœnobium  
 aliud ad radices Petrini montis, ubi Ori-  
 entem spectat, erigitur, commodus erat  
 situs, quod templum S. Andreae non pro-  
 cul esset, id quod fornicibus suprâ plateam  
 jungunt, inque iis Virginibus Chorum  
 exornant. Castellum † in figura qua-  
 drata munitur, undique densissimis muris

*Pontifex  
annuit.*

*Cæsar etiâ  
consentit.*

*Munitio ce-  
lenter con-  
ficitur.*

*Moniales  
transferun-  
tur.*

*Descriptio  
novi Castellâ  
S. Cyriaci.*

am;

(a) *Supr. lib. I. n. 10.*



ambientibus, quibus versus planitiem vallum incumbit, alibi proclivitate montis, & solo muro tutum. Ubi excurrit in angulos, solidissimæ turres locantur, attemen duæ illæ quæ latus versus Urbem defendissent, cœptæ quidem sed perfectæ non sunt, eo quod ibi à Civitatis vallo propugnari valeat, nec contra Urbem, secus hostem muniendum censuerint.

IV. Munitionem hanc ægerrimè tulerunt Moguntinus & Saxones, hi in æmulationem suæ domus arcem erigi, ille Jurisdictionem utramque lædi queritur: abactas moniales, extractum castellum, illud sine ArchiEpiscopo, hoc sine Principis consensu fieri non debuisse. \* Mox adfertur fama † Dietherum dysenteriâ extinctum. (a) Temperavit nuncii lætitiâ, † quod moritur & Albertus successor esset. Actum videtur de Erfordia licentia, Patre in Saxonia filio Moguntia imperitante. Sed nihil tam necessarium, quod decursus temporis non dirimat. Interim humilitate potentiores mitigant Erfurtenses, & ambiunt Ducem Wilhelmum Vinariensem, fratris Ernesti frigusculis sæpè contrarium, simul Alberto omne obsequium per Legatos offerunt: † multa hæcenus contra veterem necessitudinem inter filiam & matrem intercessisse, nolle se defensionem eorum suscipere, sed fateri, diffidio inter Cæsarem & Dietherum, secutoque Sequ-

(a) Serarius in Diethero & Administratore Alberto.